



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Lex.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

quod ignoretur, an suffragiis indigeat, ut legatum sit ei debitum ex iustitia, quod si non indigeat, mens testatoris fuit, ut legato satisfaceret, ad hoc ut possint ea suffragia aliis animabus prodesse.

388. Quæritur. An annuum legatum pro anima relictum possit aliquando cessare?

Resp. Affirmativè, si relictum fuit ad tempus determinatum, puta 20. vel 30. annorum, elapso eo tempore legatum cessabit, vel si res legata periit absque culpa legatarii, ut si res relicta in specie consumpta iam fuit.

389. Quæritur. An hæres, vel alii executores legatorum negligentes, aut longo tempore differentes implere pia legata à defuncto relicta pro anima sua, peccent mortaliter?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia iniuste inferunt defuncto damnum notabile, nam pro tempore, quo executio differtur, eius anima privatur suffragiis, quibus sublevaretur à pœnis Purgatorii, ideo non debet executor sine iusta causa executionem multum differre, iusta autem causa differendi aliquandiù potest esse, si sit spes vendendi res defuncti majori pretio, ut sic majores eleemosynæ in subsidium animæ adhiberi possint; verum id ex D. Thom. licitè fit in mora solùm modici temporis, in qua non videtur magnum periculum, vel detrimentum.

L E X.

390. **Q**Uæritur. An populus peccet, si absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam?

I 2

Resp.

Resp. Peccare juxta gravitatem, seu parvitatem materiæ, quæ à lege præcipitur, oppositum enim manet expressè damnatum ab Alexandro VII. cum propos. 28. ratio, est primò, quia in legislatore humano est potestas condendi legem, quæ obliget independentè à populi consensu, & acceptatione, idque non solum verum est de legislatore Ecclesiastico, qui non à populo, sed à Christo Domino potestatem legislativam accepit, sed etiam de Principe sæculari; deinde quia in legislatore adest de facto voluntas obligandi legibus suis independentè ab acceptatione populi quamvis si res sit ardua, & à majori parte populi lex non observetur, censeatur solum legislator velle legem abrogare, ut proinde solum post abrogationem citra culpam lex non observetur, in principio tamen non vacet culpa ejus transgressio, etiam si res præcepta fuisset ardua, & à fortiori si absque ulla causa lex non observetur, & acceptatur; nisi fuerit injusta, & invalida.

291. Quæritur. An quando dubitatur, utrum lex sit usu recepta præsumi possit, quod non sic acceptata, atque adeò quod citra culpam possit violari?

Resp. Negativè, quia in hoc dubio non stat in possessione libertas, sed lex, quippe quæ antecederet ad acceptationem est obligatoria, & ad summum probabile est, quod stet in possessione libertas, quando materia præcepta est ardua, quia tunc probabile est, quod feratur sub ea conditione quod populus illam acceptet, idcirco ante acceptationem non est obligatoria, neque obligatoria est lex à populo iusta de causa non acceptata, vel non promulgata.

392. Quæ-

392. Quæritur . An lex Pontificia debeat in singulis Provinciis, & Diœcesibus publicari, ut possit habere vim obligandi pro toto orbe?

Resp. Negativè sed sufficit, quod Romæ promulgetur, sicut de facto Bulla Cæ-næ Domini non nisi Romæ publicatur, & tamen ubique obligat; Decreta quoque S. Congreg. habent vim legis, quando jussu Pontificis emanant, & ubique obligant, postquam publicata sunt.

393. Quæritur. Quomodo cognoscendum, quando lex obliget sub mortali, vel veniali?

Resp. Dignoscitur, quando lex verbis præceptivi v. g. præcipimus, mandamus, interdici-mus, jubemus, teneantur, vel his equivalentibus, exprimitur in materia gravi, que vel sit gravis in se, vel ratione finis, in suo effectu, quatenus conducit ad bonum communitatis, pacem, & disciplinam conservandam.

394. Quæritur. Quid dicendum sit de lege pœnali?

Resp. Lex pœnalis duplex est, alia purè pœnalis, & alia mixta, illa est, dum legislator non intendi ad culpam Theologiam, seu offensam Dei obligare, sed tantum ad pœnam, ut quando v. g. absque verbis præceptivis statuit, ne hoc, vel illud fiat: altera verò est, dum legislator intendit ad culpam obligare, ut si dicat: mandamus, interdici-mus sub tali pœna, ne hoc, vel illud fiat, quæ ut plurimum accidit in delictis, quæ juri divino, aut naturali adversantur, in qua proinde duplex est obligatio, una ad culpam, alia ad pœnam; hinc resolvitur: legem purè pœnalem

ad culpam Theologicam non obligare, nisi aliud legislator exprimat, vel nisi aecedat legislatoris contemptus, aliorum scandalum, aut perturbatio Reipublice, vel detrimentum; legem verò pœnalem mixtam juxta materię gravitatem obligare sub culpa, sub qua etiam obligaret, licet nulla pœna apponeretur temporalis, quæ quidem adjicitur ad ejus obligationem confirmandam.

LIBRI PROHIBITI.

395. **Q**Uæritur. An libri prohibiti donec expurgentur possint retineri, usque dū adhibita diligentia corrigantur?

Resp. Quod libri Hæreticorum hæresim continentēs, vel de Religione tractantes in Bulla Cœnæ prohibentur absolutè sub excommunicatione Papæ reservata; contra verò alii libri passim prohiberi solent sub hac clausula, donec corrigantur, cum hæc tamen discrimine, quòd libri Hæresiarcarum qui de Religione nō tractant, nec continent hæresim, nec non libri catholicorum, qui ob suspicionem hæresis, vel falsi dogmatis damnantur, solum prohibentur sub excommunicatione lata non reservata, ut habetur in *regula Indicis* 10. libri verò alio titulo prohibiti, puta ob obscœnitates, ad vitandas offensiones, & scandala &c. quibus non est annexa censura, solum sub mortali interdiciuntur, ut habetur in dicta *Regula* 10. de his itaque libris, qui prohibentur, donec corrigantur, docuerunt nonnulli retineri posse, donec opportune correctio sequeretur, si videlicet nullum esset periculum subversionis, nec scandalum, aut aliud malum subsequeretur; quo-